

vire de feudis, vel subventiones facere, in quibus feudorum ratione tenentur: jam non poterunt unum scipium, unum equum dare liberaliter Regi suo. Non fertur ad tales et consimiles interpretationes subdolas dictæ nostræ constitutionis intentio: tam falsidicos interpres non admittit, sicut hæc plenius aliquibus tuis nunciis et familiaribus vivæ vocis oraculosæpius duximus exponenda.

Quantumlibet autem per subdolos impulsus versatus sis, ut caderes ob prædicta, et ea nos turbaverint, et ad indignationem non sine ratione moverint, nos tamen paterni amoris soliti, ac eadem ecclesia te sui uteri filium oblivisci non possumus, quin, suspenso rigore, te in benedictionibus præveniendo dulcedinis, et via mansuetudinis prosequendo, experiamur primitus quam reverenter, quam efficaciter monita paterna suscipes, et medicamenta curantis illius periti medici Samaritani vicarii, qui super vulnera hominis cujusdam de Jerusalem descendantis in Iericho, qui inciderat in latrones, et fuerat spoliatus, ac relictus plagis impositis semivivus: misericordia motus oleum et vinum apposuit.

Igitur tali exemplo a fomentis olei benignius inchoantes, ecce venerabilem fratrem nostrum Vivariensem episcopum, virum quidem probatæ religionis, scientiæ eminentis, circumspectionis maturæ, ex conversatione diutina nobis et fratribus nostris notum et charum, ac tui honoris et commodi zelatorem, qui et de regno et terra tua trahxit originem, ad te providimus destioandum, ut præmissa solerter et clare celsitudini regiæ oraculo vivæ vocis exponat, et exprimat, ut præmittitur, mentem nostram, quem super his et de contingentibus plene duximus informandum. Serenitatem itaque regiam monemns, rogamus, et hortamur attente, per apostolica tibi scripta mandantes, quatenus non ad animum revoces, sed gratanter accipiens, quod et instanter reducere nitimur ad salutem, paterna medicamina suscipias reverenter, nostrisque tibi et tuo regno salubribus monitis acquiescens, errata sic corrigens per te ipsum, nec permittens in antea

per falsa contagia te seduci: ita quod a Deo præmium exinde consequaris, nostram et dictæ ecclesiæ benevolentiam tibi conserves et gratiam, et apud homines bonam famam; nec oporteat nos ad alia et minus usitata remedia, perseveranter instanté, ac pulsante, nec non cogente, justitia, extendere manus nostras, quamvis hoc inviti, et involutarii faceremus. Dat. Anagniæ VII. kal. octobris anno. II.

## DOCUMENT (M).

### PARTAGE DES FIEFS ENTRE LES COLONNE.

(Des archives du connétable Colonne, dans Petrini Mon. 19).

In nomine Domini. Anno Dominicæ Incarnationis 1252. Indictione X. Mense Februarii die 7. Nos Petrus de Colupna natus qm. D. Oddonis de Columna, Landulphus, et Oddo nati ipsius Petri pro nobis, et pro Petro, Leone, et Fortisbrachia filiis mei Petri, et ipsorum nomine pro quibus promittimus nos facturos, et curaturos, quod ipsi omni tempore omnia, et singula, quae in hoc contractu dicentur rata, et firma habebunt, et contra ea non venient, facient, adimplebunt, ratificabunt expresse propriis nostris voluntatibus in praesentia religiosi viri Fratris Joannis de Columna Ordinis Praedicatorum Prioris totius Romanae Provinciae in ipso Ordine, et ipsius arbitrio, seu arbitratu in praesentia DD. Judicum, scilicet Consolini qm. Petri Judicis, Bartholomaei Petri Judicis, Petri Oddonis de Insula, Angeli Com. Baronii Petri Consulum, Petri Nicoli Albigellae, et Pauli Petri Pauli Rubei, et Notariorum Joannis Nicolai, Jacobi, et Rodulphi damus, et concedimus, renunciamus, et refutamus, cedimus, et mandamus tibi Domino Oddoni de Columna nato qm. D. Jordani de Colupna consbrino mei Petri tuisque heredibus, et successoribus perpetuo etc. totam partem nostram, quam habemus, habere, seu vendicare pos-

semus in *Civitate Penestre, Monte, et Rocca ipsius, et in ejus Territorio, seu Tenimento, et Castris Zagaroli, Colupnae, Capranicae, et medietatis castri Prati Porcorum, et in Roccis, et Territorii, seu Tenimentis ipsorum, et Munitionibus Augustae, et Montis Acceptorii.* Quae pars contingens me ipsius Petrum in praedictis Civitate, Castris, et Territorii, seu Tenimentis ipsorum, et Munitionibus, est medietas ipsorum pluris, vel minoris cum medietatibus vassallorum tam militum, quam peditum, et jurisdictionum in ipsos vassallos, et edificiorum novorum, et antiquorum, terrarum cultarum, et non cultarum, sylvarum, pratorum, pantanorum, vinearum, ortorum, canapinarum, et omnium aliorum jurium, utilitatum, et pertinentium ipsorum Civitatis, et Castrorum, Roccarum, et Munitionum. Quae pars nostra unita est pro indiviso, cum medietate, seu residuis, partibus tui Domini Oddonis, et ad te D. Oddonem pertinentibus in praedictis Civitate, Castris, Roccis, et ipsorum Territorii, et Munitionibus. Item damus, cedimus, mandamus, concedimus, renuntiamus, et refutamus tibi dicto D. Oddoni omnia jura, et rationis generaliter, quae mihi dicto Petro, et praedictis filiis meis, vel alicui ipsorum competunt, competere possunt, aut poterunt quocumque modo, et quocumque jure in praedictis civitate, Castris, et Roccis, territorii, et Munitionibus praedictis tam in ipsa parte per nos nunc data, et concessa tibi D. Oddoni, quam in aliis residuis partibus ad te, dictum D. Oddonem spectantibus, et in totis ipsis civitate, castris, roccis, et ipsorum territorii, et munitionibus praedictis, et in omnibus, et singulis praedictis occasione arbitrii, seu arbitratuum latorum dudum inter nos per D. Petrum Praefectum Urbis, et occasione quarumcumque sententiarum, consiliorum, investmentitorum factorum pro nobis, vel aliquo nostrum contra te D. Oddonem in praedictis civitate, castris, roccis, et ipsorum territorii, et munitionibus, et generaliter quibuscumque aliis occasionibus, et modis ipsa jura nobis, vel alicui nostrum com-

petunt, competere possunt in praedictis omnibus, et singulis, vel ex successione Parentum meorum Petri, scilicet patris, et avi, vel quocumque alic modo, ita quod penes nos, vel aliquem nostrum nihil juris in praedictis aliquo tempore, quoquo modo reservatur, imo in te D. Oddonem ipsa jura per praesentia penitus, et in solidum trasferantur. Item damus, cedimus, concedimus, et mandamus tibi jam dicto D. Oddoni pro nobis, et dictis filiis mei Petri omnia jura, et actiones, quae nobis, vel alicui nostrum competent, competere possunt, aut poterunt praenominatis occasionibus, et quibuscumque aliis in castris Sancti Viti, Montis Manni, Castri Novi, et Pisciani, et ipsorum territoriis contra possessores, et detentores ipsorum. Item damus, et concedimus, renunciamus, et refutamus tibi jam dicto D. Oddoni omnia jura, et actiones, quae nobis, vel alicui nostrum competent, competere possunt, aut poterunt contra te, et in bonis tuis occasione fructuum, proventuum, et reddituum perceptorum, seu qui percepit potuerunt per te dictum D. Oddonem de praedictis civitate, castris, et eorum territoriis a te mihi datis, et concessis, ut in instrumentis meis plene poterit contineri, et constituimus te dictum D. Oddonem procuratorem in rem tuam in praedictis omnibus juribus, et actionibus, ut succedas in locum, et privilegium nostrum, ut cuiuslibet nostri, et proprio nomine agas pro praedictis juribus, petas, excipias, et defendas, et facias, quae tibi perpetuo placuerit; nulla nobis, et alicui nostrum in praedictis omnibus, et singulis aliquo tempore reservatione facta. Tenutam quoque et possessionem, quam contitemur te D. Oddonem habere de praedictis civitate Penestra, Rocca et Monte, et Territorio ipsius vassallis, et vassallorum juribus, et de castris Zagarolo, Colupna, et Capranica Roccis et Territorii ipsorum, vassallis, juribus, vassalorum, et de Munitionibus praedictis integrum, pacificam, et tranquillam, et vacuam, seu vacantem, tibi per omnia confirmamus, et corroboramus, ut quemadmodum tenes nunc praedicta in solidum, ita

semper perpetuo teneas, et possideas. Civitatis praedicta cum Rocca, et Monte cum Territorio ipsius posita est in distractu Urbis in contrata, quae dicitur *Romangna* Fines hii sunt, est Tenimentum Cavae, et Roccae Cavae, est tenimentum Vallis-montonis, et Tenimentum Lariani, et Tenimentum Algidi, et Tenimentum Zagaroli, et Tenimentum Gallicani, et Sancti Joannis Camporacii, et Tenimentum Poli, et Tenimentum Montis Manni. Castra autem praedicta Zagaroli, et Capranicae posita sunt in Dioecesi dictae civitatis cum ipsorum territoriis. Fines ad Castrum Zagaroli, et ejus territorii sunt ii. Ab uno latere est Tenimentum Penestrae, Tenimentum Gallicani, Tenimentum Colupnae, et Tenimentum S. Cesarei. Fines Capranicae, et ejus Territorii sunt hii, videlicet Tenimentum *Castelli Novi*, et Montis Manni, et Genazzani, Sancti Viti, et Penestrae. Reliquum autem castrum Columnae positum est in Dioecesi Tusculana, cuius fines hii sunt, scilicet Tenimentum Zagaroli S. Cesarei, Roccae Pejurae, Montis de Compatri, Montis porcii, et Pratri porae, Passarani, et Castilionis. Munitiones autem praedictae posita sunt in Urbe. Fines ad Augustam ab uno Flumen, ab alio via, qua itur a Sancto Blaso, et exit in viam, qua itur usque Urbem, et est via, qua itur ad Flumen a S. Marina. Fines ad Montem Acceptorium hii sunt. Domus Romanucciarum, et Synibaldorum, ab alio Domus Macellariorum, et Domus Cesarinorum, ab alio sunt Domus Zarlonum, et Teoderinorum. Praedictam autem dationem, et concessionem, et omnia, et singula, quae supradicta sunt tibi domino Oddoni facimus ex causa transactionis inter nos praeessentialiter, et placabiliter initiae de multis litibus, et controversiis, et discordiis, quaestionibus guerris, et offensis hinc inde invicem inter nos habitis, et ventilatis occasione dictorum civitatis, Castrorum, Roccarum, et Munitiōnum dividendo ipsa inter nos; et pro eo quod tu dominus Oddo similiter causa transactionis dedisti, et concessisti mihi dicto Petro *Castra Gallicani, Sancti Joannis, et Sancti Cesarei* cum

suis Tenimentis, ut in instrumentis meis plene continetur; nec non ex arbitrio, seu arbitratu inter nos latis per dictum religiosum virum *Fratrem Joannem de Columna* occasione dictarum quaestionum et offensarum, in quo dicta Civitas, Castra, Roccae, Territoria, Munitiones omnes tibi sunt adjudicatae, ut seriatim in dicto arbitrio, et alias plene continetur. Praeterea promittimus tibi domino Oddoni, quod praedictam partem nostram Civitatis, et Castrorum, et Roccarum, et Munitionum, et eorum territorii, et tenimentorum, et praedictarum Munitiōnum, et jura nobis, et alicui nostrum competentia, et quae in futurum competere poterunt nulli alii personae, vel loco, seu Collegio dedimus, concessimus, vel alienavimus, nec contractum, seu quasi contractum fecimus nos, nec Pater mei, Petri; et si contrarium apparuerit, et tu dominus Oddo in damnum incurris, et expensas feceris propterea, seu occasione praedicta, vel quia praedicti Petrus, Leo, et Fortisbrachia filii mei Petri non ratificaverint omnia, et singula, quae dicta sunt, vel contra ea quoquo modo venerint, omnia ipsa, damna, et expensas tibi domino Oddoni quilibet nostrum in solidum reddere, et solvere, et reficere promittimus. Aliter autem de evictione praedictorum datorum, et concessorum tibi, per nos teneri tibi volumus, nisi de facto nostro, vel *D. Oddonis Patris mei Petri*, et tu ipse D. Oddo sic actum, pactum, et conventum inter nos esse, et fuisse vis, et confiteris. Pro quibus omnibus, et singulis obser-vandis, et firmiter, et plenarie adimplendis omnia bona nostra mobilia, et immobilia, praesentia, et futura tibi D. Oddoni obligamus, quae quantum ad praedicta pertinent tuo nomine possidere constituimus, dantes tibi potestatem liberam ipsa bona tibi obligata auctoritate propria intrare, tenere, et possidere, vendere, obligare, et facere quod tibi perpetuo placet donec praedictis omnibus, et singulis tibi fuerit per nos, et quemlibet nostrum plenariae satisfactum. Haec omnia, et singula, quae superius dicta sunt nos dictus Petrus de Columna, Landulphus,

et Oddo filii ipsius Petri pro nobis, et pro Petro, Leone, et Fortisbrachia filiis mei Petri pro nobis, et nostris, et praedictorum haeredibus, et successoribus in perpetuum tibi D. Oddoni pro te, filiis, et haeredibus tuis, et successoribus in perpetuum facere, attendere, observare, et implere promittimus sub poena trium millium marcharum argenti; qua poena soluta, vel non, praedicta semper firma durent: praestitoque a nobis corporali jura-  
mento de praedictis omnibus firmiter observandis, et adimplen-  
dis tibi D. Oddoni, ut superius dictum est. Quam scribere  
rogavimus Joannem Nicoli Sacri Romani Imperii Judicem, et  
Scribam in mense, et Indictione X. suprascripta.

Fr. Yldibrandus de ord. Praedicatorum Testis  
 Fr. Paparonus de ord. Praedicatorum Testis  
 Stephanus Pappa Clericus S. Laurentii in Lucina Testis  
 Praesbyter Petrus Sublasii ejusdem Ecc. Praesbyter Testis  
 Dominus Jacobus Guidonis Clericus ejusdem Ecc. Testis  
 Dominus Leonardus Clericus ejusdem Ecc. Testis  
 Dominus Conradus Malabranca Testis  
 Joannes Brenna Testis  
 Jacobus Petri Sinibaldi Testis  
 Sthephanus Cintii Sinibaldi Testis  
 Tebaldinus Testis

Joannes Nicoli Sacri Romani Imperii Judex, et scriba rogatus  
 scripsi, publicavi, complevi, et absolvı.

Loco Sigilli.

### DOCUMENT (N).

#### ACTE QUI CONSTITUE LE CARDINAL JACQUES COLONNE, ADMINISTRATEUR ABSOLU DES BIENS DES COLONNE.

(Des archives Barberini, dans Petrini Mon. 21.)

In nomine etc. Anno Domini 1292 Sede vacante, die lunae 28 Aprilis in presentia mei Joannis etc. Parlatoris etc. Nobiles viri DD. Joannes, Oddo, Mattheus, et Laudulphus de Columna fratres filii quondam D. Jordani de Columna etc. commiserunt pro se, et heredibus etc. D. Jacobo S. Mariae in Via lata Diacono Cardinali fratri eorum praesenti etc. gubernationem, cu-  
ram, regimen, administrationem, tenutam, et possessionem in-  
frascriptarum terrarum, locorum, et rerum suarum, et ipsius D. Cardinalis, vassallorum, et hominum ipsarum terrarum etc.  
 ita quod ea possit per se, et per alium etc. exercere etc. et fruc-  
tus, redditus, et proventus praedictorum petere, percipere etc.  
 ac inter eos, et ipsum D. Cardinalem distribuere sicut sibi pla-  
 cuerit etc., voluerunt etiam, et potestatem dederunt ipsi D. Car-  
 dinali quod etc. possit sua auctoritate etc. terras, res, loca ipsa,  
 et Roccas etc. intrare, accipere, custodire etc., hoc pacto etc.  
 quod ipse D. Cardinalis, et sui heredes, et successores nullo  
 modo teneantur ad redditionem rationis dictae administra-  
 tions etc., et quidquid ipsum D. Cardinalem occasione dictae ad-  
 ministrationis, et divisionis debere contigerit etc. eisdem nobi-  
 libus etc., nunc ipsi Nobiles per pactum expressum remiserunt.

Res autem, et terrae, et loca sunt haec: *Civitas Penestrina*,  
*Mons Penestrinus*, *Castrum Capranicae* Penestrinensis dioecesis,  
*Castrum Zagaroli* ejusdem dioecesis, *Castrum Columnae* Tus-  
 culanae dioecesis, et medietas *Castri*, seu *villae Petraporti* Tus-  
 culanae dioecesis etc., nec non *tenimenti Algidi*, et *omnia*, et

singula jura, quae ipsi habent etc. in ipso teni mento Algidi, et *Castello Algidi* Acta sunt praedicta Romae in Domibus S. Laurentii in Lucina etc.

Ego Joannes dictus Parlator de Secia apostolicae Sedis auctoritate Judex, et notarius etc.

## DOCUMENT (O).

### PROCÈS CONTRE LES COLONNE.

Bonifacius, etc. ad perpetuam rei memoriam.

Praeteritorum temporum nefandis Columnensium actibus, et praesentium pravis operibus recidivis, ac futuris, de quibus verisimiliter formidabatur, in considerationem prudenter adductis, venit patenter in lucem, quod Columnensium domus exasperans, amara domesticis, molesta vicinis, Romanorum reipublicae impugnatrix, sanctae Ecclesiae Romanae rebellis, Urbis et patriae pertubatrix, consortis impatiens, ingrata beneficiis, subesse nolens, humilitatis ignara, plena furoribus, Deum non metuens, nec volens homines revereri, habens de Urbis et orbis turbatione pruritum, studuit charissimum in Christo filium nostrum Jacobum Aragoniae Regem illustrem, tunc hostem ecclesiae ac rebellem, Siculisque perfidis praesidentem de facto, in nostrum et charissimi in Christo filii nostri Siciliae Regis illustris grave praeiudicium, et gravamen Christianitatis et Terrae sanctae succursus grande dispendium in rebellione. tenere, tam sibi quam nobili juveni Friderico nato quondam Petri olim Regis Aragoniae, in crimen criminoso favendo. Ut illud notissimum omittamus, qualiter quondam Joannes de Columna tit. S. Praxedis praesbyter Cardinalis, et Oddo de Columna nepos ipsius, pater Jacobi S. Mariae in Via lata, et avus Petri de Columna S. Eustachii diaconorum Cardinalium, tempore felicis recordationis

Gregorii Papae IX. praedecessoris nostri fuerunt dure et graviter ipsam ecclesiam persecuti, cum damnatae memoriae Friderico olim Romanorum Imperatori, supradictae ecclesiae publico persecutore et hoste, tempore, quo quondam Mattheus Rubeus de domo filiorum Ursi sororius dicti Oddonis senatus in Urbe regimen exercebat ad honorem et obsequium ecclesiae memoratae : a cuius Matthaei domo dictus Cardinalis et Oddo et eorum posteri multa beneficia receperunt; praesertim a sanctae memoriae Nicolao III. praedecessore nostro, qui dictum Jacobum juvenem satis et inscium, perniciosum tamen postmodum, hypocrisim tunc temporis pericolose gerentem, ad Cardinalatus provexit honorem : quod utinam non fecisset, quia nec sedi Apostolicae, nec Christianitati, nec dicti praedecessoris Nicolai domui talis promotio expedivit, quam dicti Jacobus et Petrus ac sui, velut ingratitudinis filii, et beneficiorum immemores, multiplicitate impugnarunt. Terras etiam subiectas ecclesiae sibique rebelles in rebellione fovebant in hoc, dantes eisdem auxilium et favorem.

Novissimis vero temporibus dicti juvenis Friderici, latenter discurrentibus nunciis per Urbem et loca vicina, ut immissis scandalis ea possent ipsius subjecere ditioni, licet id procurarent homines dictae domus Columnensis, et ad hoc eis ministrarent auxilia et favores; mansuetudinis tamen Apostolicae sedis benigna sinceritas, quae libentius emendat in subditis peccata, quam puniat, nec exerit ferrum praecisionis in morbos, quos sanare potest mulcebris lenitas medicinae; eos studuit nunc paterna lenitatis dulcedine alloqui, nunc verbis charitativae correctionis inducere, ut a talibus abstinerent, ipsorumque elatam pertinaciam, immo effraenem superbiam, non semel sed plures in fulgore terrifico comminationis increpavit, tendens ante ipsos arcum justitiae in rigore, quo sagitta perpetuae dejectionis, solita non converti retrorsum, emititur, ut formidabilis vindictae significationis clementer exhibita stu-